

15

D. D.
OBSERVATIONES NONNULLAS
IN
**HISTORIAM NATURALEM
SMOLANDIÆ,**

CONSENSU EXPERIENT. FACULT. MED. UPS.

PRÆSIDE
**CAROL. PET.
THUNBERG,**

EQUITE AURAT. REG. ORD. DE VASA,
MED. DOCT. PROF. MED. ET BOT. REG. ET ORD. ACAD. CÆSAR. PETROPOL. ET
NAT. CURIOS. REG. SCIENT. LOND. HOLM. SOCIET. SCIENT. UPS. PHILAD. PATR.
HOIM. ET CIV. OECON. FINL. BEROL. NAT. SCRUT. PARIS. HAFN. ET HALENS.
HIST. NAT. LUND. HARLEM. AMSTELD. ZELAND. NIDROSIENS. TICINENS.
JENENS. LINN. LONDIN. PHYS. ET PHYTOGRAPH. GÖTTINGENS. MED.
MATRITENS. MEDIC. ET NAT. STUDIOS. EDIMBURG. MEMBRO;
NEC NON ACAD. SCIENT. PARIS. MONSPELIENS. AGRICULT.
PARIS. MEDIC. LONDIN. SCANDINAV. FLORENTIN. ET
BATAVIN. IND. OR. CORRESPOND.

PUBLICO EXAMINI DEFERT
SVENO GABRIEL FOVELIN,
SMOLANDUS.

IN AUDIT. BOTAN. D. XII JUN. MDCCCLII.

H. A. M. S.

UPPSALIÆ,
Litteris Joh. Fredr. Edman, Reg. Acad. Typogr.



CONTRACTS PROSTEN
HÖGÅREVÖRDIGE OCH HÖGLÄRDE
HERR MAGISTER
JOHAN FOVELIN,
SAMT
PROSTINNAN
HÖGÅDLA FRU,
MARGAR. CHRIST. FOVELIN
FÖDD ÖDMANN,

| MINA HULDASTE FÖRÄLDRAR!

Tillegnas förftlingen af mina Academiska öfningar, vördrändens, tacksamhetens, pligtens, kånslans ringa, men hjertats heliga offer

af

DERAS

'Lydigaste Son
SVEN GABR. FOVELIN.

OBSERVATIONES NONNULLÆ
IN
HISTORIAM NATURALEM
SMOLANDIÆ,



Ut cuique oportet carum esse omne, pusillum quamvis & imperfectum, quo cognitio patriæ adaugeatur; ita & præ primis, quo ad soli natalis commendationem aliquid fiat. Hoc eodem consilio, dum præsentem adgredior opellam, ut juvenili tentamini indulgentiam habeat B. L. non modo spero, sed & precor.

§. I.

Conspicetus Generalis.

Si occidentalem, campestrem fere, arenosam, planiorem excipimus partem, reliqua omnis Smolandia montibus, collibus, jugisque fabulosis, ardua, inæqualis, diversa jacet; lacubus innumeris intersincta; 1) fluviorum & amnium numeroſo ordine intersepta, rigata, amœna; silvis, jam acerosis, jam frondosis, vestita; lucis & nemoribus varie pulcra; pratis florentibus superbens; agris, minutioris quamvis areæ & fertilitatis, nec tamen ex sterili natura despectui habendis, abundans; pabulo pingui, pecoribusque aptissimo & grato celebris; minerifera auri per-

A

pa-

1) Ex hac provinciæ in partes minutæ divisione, nomen forte Smolandia pendet, quod *parvas indicat terras*. Sic nostratis: *Land* pro loco excuto: *Kdl-land*, *Hampland*, *Hörland*, h, e, lino consitus ager.

patriam unica 2), cupri non obscura 3), ferri ditissima 4); pificatione pro usu 5), venatione pro oblectamento, spem suorum fallens perraro.

§. II.

Soli Natura.

Pro diversa adeo soli natura incolis tot tamque varia adfluent commoda, ut, nisi protractior premat annonæ caritas,
ne-

2) Ad Ådelfors in Paroecia *Alsheda*. cfr. C. LINNÆI Iter Oeland. p. 24. Disser. de Aurifodina Ådelfors, Präf. p. m. D. G. WALLERIO. Detector fuit primus ANT. SWAB. Rei Met. Coll. Consiliar. Celebrimus.

3) Cupri vestigia detecta sunt, tam ad montem *Klefsva* aurifodinæ Ådelfors vicinum, tam in paroecia *Fröderyd*, ad *Kellsjö* prædii jani *Ekebjö Hofgård*. Posteriori in loco laboris initia dedit Nob. D. CL. STEDT. Reg. Cubicularius, de præfectura Junecopensi meritissimus. Hujus & ærifodinæ origines oratione Upsaliz habita celebravit M. Rev. M. P. & Pr. I. D. ROGBERG nondum publici, quod meruit, juris facta. Eiusdem Par, *Esprilla*, cuprisera quoque est.

4) Singulare hoc est Smolandæ, quod ferri mineras suppeditent plures præfecturæ Cronobergensis lacus, de fundo sursum subducendas, ut & eminens Junecopensium mons *Taberg*, deorsum devolvendos.

5) Aquæ tandem non omnes piscibus abundant. In laco *Åsnen*, paroeciae *Kalvsvik* adfluent, *Elox-lucius* captatur XL, & *Parca fluviatilis* X. librarum ponderis; *Cyprinusque Brama* quin & *Carassius* alibi ad XVIII ille, ad XI hic accedens repertus est. *Anguillarum* capture in paroecia *Urbshult* tempore GUSTAVI I:mi adeo fuit celebris, ut litteris Regiis d. 30 Oct. 1558 datis, Duci Erico quæ vindicaretur digna est visa, & quidem his verbis: Råte synon är ösy till wettandes wordeth, ath udi Kindewalbs Hårad, i Urs hult Sockn schole ware sёne Ålefiske, som the kalle thår Ålewerner. Syd syntes ösy nyttigt, att thu them wille besee, och bruke till tijt ejset behoff. Cfr. Historisk beskrifning om Småland af S. ROGBERG p. 173. — in lacu *Wirestaadensi* & *Hamshultensi* *Silurus Glanis* ad tria usque pondera majora gravis habetur. —

nemini, quo sibi suisque provideat, desit facile. Agrorum *Argilla*, quæ tamen rarior, ferax est omnisque generis frumento par; *Humus Atra*, frequentior, cuicunque vernali fementi favet felicissime; quæ *sabulæ* commixta sæpiissime adest *humus*, secali verno, hordeoque producendo, ex parva sed sæpius repetitia fimi admistione, sufficit omnino; *Arenosa* quoque, nisi abfuerit prorsus Jupiter Pluvius, secale vernum avena mixtum, vel avenam solam fert quodammodo. Uberioris autem proventus spes aleretur agricolæ, nisi, ex necessitate quadam insuperabili, annua agrorum fatio ubique fere administraretur, qua sit, ut herbis vitiiosis, tritico præsertim repenti, cuius radices quotannis, copiose sed frustra, coacervantur, avenæ fatuæ, *convolvulis*, *Polygonis*, *Brassicæ campesiri* &c, quod alibi rarius evenit, *Serratulis*, *Sonchis*, *Carduis Crispo* & *Heterophyllo Stachydiique palustri*, cedat nutrimentum segeti dæbitum 6.) Prata equidem demersa, humida, spatioſa frequenter, amniibus plerumque disiecta, non nisi *Caricibns* deterioris notæ abundant, plantisque uliginosis ſolum præbent posſefori parve quæſtuosum; cætera autem, quæ agros interjacent, hortulorum instar, floribus & herbis luxuriantibus superbiunt copiosis, cuicunque pecori proficuis, niſi *sabulosa* prorsus, *Arnicam* & *Fasjonem montanam*, *gnaphalia Ericæ* que ingratam progeniem admittant, ut sterilitatis flebile omen. Quanti habendum sit silvarum pascua, umbrosa, aquata, inter montium declivia angusta quidem ſed graminifera egregie, ex

A 2

nu-

6) *Raphanus Raphanistrum*, cui morbum *Spasmodicum Dragsjukan*, horrendum, fatalem sæpiissime, intereaque Epidemice graſantem adſcrit p. m. Arch. & Equ: à LINNÈ in Dissert. de *Raphania*, per præfecturam Junecopensem, etiamſi a morbo non immunem prorsus, occurrit rarior. Hoc ſuit in cauſa, cur criminis culpam ad *clavellos* ſic diſtos *Secalinos* (injölfor) devolvere tentavit p. m. Doct. I. LINDVALL in ſcripto hebdomali: *För Låkare och Naturforskare* Holmiae edito. Fieri tamen potest, ut ex diversa anni conditione jam uberior jam parcior succrefeat herba, atque adeo per intervalla Epidemiam exicit.

numerosis taurorum, pinquedine gravium, agminibus, qui Holmiam adiunguntur atque per cæteras patriæ provincias distribuuntur quotannis, liquet uberrime; ne loquar lac copiosum, pingue, cæteraque ex re pecuaria, quæ procedunt, subsidia, quibus Pan Smolandicus Cereris hinc inde tenuiter largitricis parsimoniam compensatum ivisse videtur.

§. III.

Animalia Domestica.

Pecus provinciæ humile, nec tamen nanum, ut in sylvestribus & montanis, medium raro superat staturam. *Equi* mediocre, dociles, veloces, nec admodum fortes. *Boves* mole ingentes nomine Smålands-Oxar insignes, Scaniæ suos debent natales, nec Smolandizæ nisi pinguedinem, *Vaccarum* ubera ex succulenta herbarum natura lactifera valde. Inermes præstant, sed raræ. *Sues*, jam grandisculi, jam humiles, olim ex glandium faginearum copia lardo, flaccidiori licet, attamen sapido, nunc plerumque Cerealibus nutriendi & saginandi habentur ubique. *Oves* ignobilioris indolis vulgo præferuntur, ut parvo contentæ, climatis patientiores, morbis raro laborantes, usuque domeslico, ut putantur, pares. *Capræ* valent optime, per scandendi licentiam aëri salubri expositæ, & prole plerumque gemella lactisque copia exigui pretii pabulum abunde rependentes. *Canes* domestici, catenarii, venatici, ovium comites atque custodes, ut & *Felis*, pro heri cujusque consilio, occurrunt.

§. IV.

Arbores.

Querceta, si voci inhæreamus, nullibi forte, at vero arbores per provinciam sparsæ adsunt ubique. Nobilissimæ ferro secernenti demæ sunt adeo, ut perpaucas ad rei Nauticæ usus idoneas judicarit ante aliquot annos Regio jussu institutum examen. Nec spes est fore, ut sensim disparentibus succedat nova

pro-

progenies arboris pratis exosæ, tarde maturescens, nec nisi ab nepotibus profuturæ.

Fageta Smolandiz meridialis 7) indies depauperata in pineta abietina paullatim verti videntur. Consumuntur quotidie ad cineres clavellatos, focumque alendum, cum dapium suillarum decremento. Quæ in paroecia *Hjelmseryd* juxta viam publicam superbit comosa fagus, cortice nominibus incisis litterata, ad boream, quam vidi, proxima fuit. Sed alit & fagos *Bringetofta*.

Pineta utriusque speciei, *abietis* & *Sylvestris*, incolis ubique fere sufficiunt, ad focum, ædes, sepimenta, carbones pro usi- nis coquendos, cæt. Ex sylvestri, cui arenosa provinciæ, *Erica fruticante* jam misere obruta, destinasse videtur Natura, pix elixa fluit boni moris, radicibus emortuis præcipuum debens copiam.

Betuleta abundant, omnium varietate, *hybridam* si exceperis, cujus cognitionem D. D. & Assessori BLOM nostrati acceptam referunt Botanici. *Pendulam* præ cæteris ex succi vernalis abundantia insignem reperimus, ex quo inspissato Syropum concoxit p. m. Præpositus M. I. WIESELGREN, ad Violaruin accedentem, at exigua copia, ut perditus sit labor. Suam quoque alit Smolandia *Ulmum campestrem*, nobiliori utensilium supellectili aptissimam; *Fraxinum excelsorem*, e cuius contusis foliis exit succus ad præsentissimum *Colubri Chersæ*, nobis fere peculiaris, venenum, optima medela 8); *Tistam Europæam*, cujus philyra fu-

A 3

nes

7) In primis versus Blekingiam atque in Territoriis *Konga* & *Kinnevald* ad sylvas majores consociatae reperiuntur fagi. In paroecia *Aneboda* ultima hoc nomine digna congeries adest.

8) *Colub. Chersæ*, sine ullius invidia, Smolandiz propria fere, loca amat subhumida, cæspitosa. Inter frutices delitescens in præteregentes momento citius infilit, vulnus sèpissime letale inferens; quanto statuca cæteris minor, tanto & viroſa dente pernicioſior. *Col.* quoque *Presterem*, Smolandis meridialibus: *Bose*, in umbrosis pratorum præſertim reformidare oportet valde, præ *Col. Bero*, qui satorum lapi-deas strues habitat frequentior, diro armatum veneno. *Col. Natrix*, inermis, simetis ova maturanda committens, ex superstitionis indulgen- tia frequentissimus ad bovilia hospitatur. Nec possunt non risum me-



nes tractabiles suspendit 9); *Acer platanoiden*, prædiorum ornementum & umbram, caprisque gratissimum pabulum; *Populum tremulam* equis, *Salicemque Capram* pecoribus exquisitissimas exhibentem cupedias; *Salicem fragilem*, per loca subhumida amabile umbraculum, cuius & flores *Palmarum* titulo decorantur; *Pyrum malum sylvestrem*, olim frequentiorem; *Crataegum utramque utilem*, neglectam autem fere; *Sorbum Aucupariam*, ad acidas quidem, *Turdis* autem dulces, invitantem delicias 10); *Prunum Padum*, cuius drupa contusa, vino permeanti combusto lâte rubentem conciliat colorem saporemque amygdalinum; *Juniperum communem*, nobis feracissimam, cuius bacca non modo recens & contusa, aqua infusa frigida, fatigato mesori acceptum, salubrem, resistentem præbet potum, sed & torrefacta, leviori lapidis molaris opera comminuta, maltoque adaucta Cerevisiam fermento paratam nutrientem, fortem, Scorbuti atque calcii origines depellentem egregie; *Corylum Avellanam*, ad Junecopiam præsertim luxuriantem, nucibus optimis pro futuram, nisi, quominus maturescant, impediret male collocata appetentia; *Betulam alnum*, cui hoc præcipue debetur meritum, quod per mollitiem excavanti, gestatuero autem per levitatem, præferatur ad calceos ligneos ruricolis usitatisimos, quorum ad plerasque nundinas præaltæ strues ex ter quaterve centum paribus

vere *Phasiani Galli*, de *Angui Fragili* devicta, jactabundi tripudia, gloticanti familia coram. Exuviae serpentum, qui senectam deponunt vere, colliguntur sedulo, membrisque *Arthritide vaga* correptis mitigationem doloris afferre creduntur, quin & laboriose parturientibus festinum puerperii exitum, hac tamen cautela, ut, si succedat propositum, nuda manu illas tractare non liceat.

9) *Tiliis*, quæ huic usui destinantur, arborescere non licet, mature scilicet decorticandis. Ex Juniperi, quod interea substituitur, indumento, rigidiores quidem, sed tenaciores parantur funes.

10) Baccarum, XII numero, quovis mane sumtarum vim diureticam valde commendant calculo Renum laborantes, qui harum usu levamen experti sunt insigne.

bus congestis venales prostant; cæteras arborescentes & frutescentes Floræ thesauros ut reticeam, *Betulam Nanam* borealem ceteroquin fruticem, *Rhamnum* utramque, *Lonicera*, *Viburnum*, *Sambucum*, *Sentes*, *Sarmenta*, *Ericæque vulgaris* sylvas nanas, apium inexhaustos hortulos, ex quibus Smolandia cæte mellisque, ad luteum quamvis vergentis quodammodo, uberrimam reportat copiam.

§. V.

Quadrupedia.

Cervum Alcem olim Smolandia fuisse indigenam, frequenter, ex locorum nominibus *Elghult*, *Elgaryd*, *Elgberget*, monti Junecopiae adsito, credere fas est. Nunc extinctum est genus omne, ut non nisi ex OstroGothiæ vicinia profugum rarissime adsit; nec intra XX annorum spatium apud nos visum novi. Eadem & fors fuit *Elaphorum* & *Damarum*, quorum pristinam præsentiam testari videntur *Hjortsberga*, *Hjorts-hult*, nomine jam rei impari; *Cervus autem Capreolus* fui extirpationem in præsens avertere valuit, congenerum fata mox subiturus 11). *Ursorum* quoque habitationes indicant certissime nomina *Björnshog*, *Björnaryd*, *Björnhult*, quainvis hodie ita evanuerit animal, ut, qui ante annum cum dimidio in paroecia Malmbeck, venatione publica propter vestigiorum in vive mirabilem, ut videbatur, formam, conscripta, plumbo necatus expiravit, pro monstro plerisque habitus sit inaudita prorsus naturæ 12). De *Lupis* eandem non valere raritatem dolemus merito,

quo-

11) Cane agitatus, recte, milliare tendit & ultra, mox per eundem tramitem redux atque adeo venatori prudenter insidianti obvius necem effugit raro. Ad insitas redactus subsistit, &, ubi dorso suppetat pax, tibiis anticis canis insultus depellit temerarius.

12) *Urfos*, qui olim Smolandiam habitarunt, ex relatione senum referre oportet ad varietatem minorem, rufescensem, *Myrbjörn*, non quidem ita adpellatam, quod formicis visitarit, sed quod ad loca hu-

quorum numerus, voracitas, invasiones frequentes quin & ipsas rusticorum ædes adeundi audacia prædæque semel correptæ tenacitas, hieme præsertim, vel ob custodum oculos, juvencis & va-
cis ad aquas emissis, haud raro miseram lanienam minitantur &
inferunt 13). *Vulpes* quoque Smolandiæ hoc temeritatis criminis
distinguunrur, quod adultas oves, ni dicam agnos, adgredi su-
stineant, exemplo alibi per Sveciam perraro 14). *Felix Lynx*,
sanguisuga, nec nisi nobiliorum viscernm vi evulsorum delicatus
comesor, oribus & capris præfertim infesta, profunda saltuum
habitat infrequens. *Viverra Lutra*, piscivora, ad amnes a gla-
cie liberas assidua, mordacissima, gressu-tardior, sed ad saltum
composita canis persequentis superans velocitatem, hieme præ-
fertim venatoris labores pelle compensat frequentior 15). *Viver-*
rae

mida & depressa (*Myror.*) vagabunda *Vacciniorum*, *Myrtilli*, *Uli-
ginosi*, cæt. *Rubi Chamæmori* Empetrique baccis famem restinxerit.

13) Anno 1776 in parœcia *Hjelmeryd*, venatione publica media sub hieme instituta, duo occisi sunt lupi, mas & foemina, cute nigra, ita nudata prorsus, ut ne unici quidem pili vestigium detegi potuerit, for-
sit ex impotenti veneno deglutito, alopecia, nec tamen necem, inferente. Lanugo, quæ pone auriculas tenuis cæperat egredi, nivea
fuit, colore, si temporis ulterior permisisset mora, animalis, ut opinor,
futuro integri. Quid, ut catuli, prædæ nondum pares, domi adfue-
scant lanienæ, faciat mater, discitur exemplo, heic, quod inferatur, for-
te non indigno: A:o 1764 in parœcia *Nydalæ*, venator quidam misero
mugitu allectus conspexit lupam vitulum vivum ad suos pertrahentem,
prehensa numella lignea, ad collum, uti mos est, suspensa. Insequitur
furtim donec ad ostium antri substiterit illa, ubi signo voce data erum-
punt catuli exanime fere animal dilaceraturi: quæ & scena peracta fuis-
set, nisi sclopeti justæ momento facta exoneratio matri ademisset vitam
filiisque propositi constantiam. Possesore dein detecto compertum est,
ex parœcia *Fryseled* supra milliaris spatium ita adactum fuisse vitulum.

14) Quam numerosa fit *Vulpium* ubique dispersarum copia, eo di-
soitur, quod una eademque hieme a LXXII aut plumbo aut forcipe, pa-
rœciæ quidam Barkerydensis incola viciniam liberarit.

15) Nasas interdum ingreditur pisces habendi causa; at vero si
difficiliiori exitu retardetur, quam respirandi necesitas permiserit, sub a-
qua suffocatus perit; cuius rei bina mihi cognita sunt exempla.

æ Martis utramque varietatem idoneo nec raro hospitio excipiunt Pinetorum & fagitorum spissæ latebrae 16). *Viverram Putorium*, rarissimum certe Smolandiae animal, ad Wexioniae lacum prope littora prædii Kampen pisce inescatam & insidiose captam novimus unicum. *Viverra Vulgaris*, ab *Erminea* specie distincta, ædes ruricolarum interea habitat hospes felici ut creditur omine, atque adeo pace fruens domestica 17). *Viverram Ermineam* majorem longe, atque cauda ab apice ad dimidiem fere partem nigerrima, colore e fusco ferrugineo, in paroecia Barkeryd occisam novimus. *Leporis* timidi ubicunque obvia vestigia præsentiam indicant uberiorem, cuius & varietatem nigraem rarisimam habuit Smolandia Occidentalis. *Erinaceum Europæum*, spiniferum haud raro, & quidem interdiu, inter pratorum grainina convolutum delitescere vidimus. *Ursus Meles*, imbellis, pacato cavernarum domicilio hinc inde utitur nemini noxius; *Agiles Sciuros*, 18) *Rattos* & *Musculos* domi forisque moleste sedulos 19), *Soricos* & *Talpas* hisque tenebrarum amore adfines *Vespertiliones*, per brevitatem temporis ut prætermittam.

Campus, per quem si exspatiari permitteret arcta, qua tenor, temporis angustia, supereset utique latisimus. At vero, prolixiorem, quam, quæ præsentis est conditionis, operam requireret, *Aquilarum* & *Falconum* ex frequentia bellorum celebris turina; *Strigum* certe non parva familia, *Laniorum* parcior nu-

B

me-

16) Cava arborum perquirit, &, si apes silvestres adfint, earum mel atque larvas deprædatur haud secus ac *Viverra* (Ratel). Mellivora.

17) *Viv. Vulgaris*; LINN. Syst. animalium ex Ed. GMELINI. Gallinarum ovis infestus, ut creditur; ita adfini *Viverræ Ichneumoni* Egyptiacæ, cuius eosdem mores descripsit SONNINI, similis. Resa ii Öfra och Nedra Egypten. p. 63. Murium venator dexterimus.

18) *Sciuri*, ne quidem ad rigidas brumas, cinerascunt, medio excepto dorso. Cicures carne vescuntur & lardo.

19) *Muris terrestris* deprædationes *Talpa* adscribuntur immerito: *Amphibii*, anatum pullis infestæ interdum. *Avellanarius* & *Sylvaticus* *Viverris* in escam cedunt.



merus; *Picarum* sui dissimilis ordo, quas inter nomino *Cornitem* & *Monedulam* apud nos perraro hiemantem, *Coraciamque Garrulam*, *Cronobergenibus Drottning Kerfins kråka*, appellata, quod hæc imperante Regina, ut vulgo fama fert, vifa sit prima; *Anserum* longe lateque distributa copia, in quibus *Anatem Anserem* feram ad Wislanda ova posuisse novimus quotannis, cui & jungenda est *Glaucion*, prima ex fuga hiemali rediens, *Clangulaque humi* apud nos cubans semper; *Grallarum*, *Scolopaceum* in primis, cohortes abundanter dispersæ per numerosa Provinciæ, lacustria olim, nunc *Sphagno Caricumque Cæspitibus* obducta paludosa; quas inter filere nefas putarem *Ardeam Ciconiam*, supra Wexioniam non hospitantem, *nigram*, Smol. *Hafnerot*, transeuntem, nubeculæ instar summa ætheris permeantem, *Stellarem*, arundineta præamantem, & *Cinereum*, quam e diurna piscatione ad cujusvis vesperæ horam VII reducem, supra lapidem eundem Lacu *Barkerydensi* cinctum, integrum æstatem pernoctare vidimus; *Tetraonum omnium*, *Lago-po* excepta, amabilis societas, *Passerumque* innumera progenies 20). Inter Pisces *Salmonem Alpinum* Lacum Wettern habitantem indicare oportet, ut & inter Floræ delicias *Trapam natantem*, *Thesum Alpinum*, *Talictrum Simplex*, *Ericam tetalicem*, *Dracocephalum Ruischianam*, *Linum Radiolam*, *Ophrydem ovatam*, quas Botanicis subministrat Smolandia aut sola, aut paucissimis Patriæ Provinciis sociata.

20) Qui per fabulosa Provinciæ iter instituunt, in prærupta collum arenosarum conspicunt frequentia foramina, baculo veluti 2 pollicum diametro intruso formata. Sunt hæc meatus ad nidos *hirundinis ripariæ*, quæ citacissimo volatu, sagittæ instar, intrat, & quasi per incantationem oculo subducitur.

